

Cur antiqui arbitrati sint terram in medio mundi qui-  
escere tanquam centrum. Cap. VII.



Vamobrem alijs quibusdam rationibus prisci Phi-  
losophi conati sunt astruere terram in medio mundi  
consistere. Potissimam uero causam allegant graui-  
tatis & leuitatis. Quippe grauissimum est terræ ele-  
mentū, & ponderosa omnia feruntur ad ipsam, in intimum eius  
contendentia medium. Nam globosa existente terra, in quā gra-  
uia undequac̄ rectis ad superficiē angulis suapte natura ferun-  
tur, nisi in ipsa superficie retinerentur, ad centrum eius corrue-  
rent: quandoquidem linea recta, quæ se planicie finitoris, qua  
sphærām contingit, rectis accommodat angulis, ad centrum du-  
cit. Ea uero quæ ad medium feruntur, sequi uidetur, ut in medio  
quiescant. Tanto igitur magis tota terra conquiescat in medio,  
& quæ cadētia omnia in se receptat, suo pondere immobilis per-  
manebit. Itidem quoq̄ comprobare nituntur ratione motus,  
& ipsius natura. Vnius quippe ac simplicis corporis simplicem  
esse motum ait Aristoteles: Simplicium uero motuum, alium re-  
ctum, alium circularem. Rectorum autem, alium sursum, alium  
deorsum. Quocirca omnem motum simplicem, aut ad medium  
esse, qui deorsum: aut à medio, qui sursum: aut circa medium, &  
ipsum esse circularem. Modo conuenit terræ quidem & aquæ,  
quæ grauia existimātur, deorsum ferri, quod est medium pete-  
re. Aëri uero & igni, quæ leuitate prædicta sunt, sursum & à me-  
dio remoueri: Consentaneū uidetur, his quatuor elementis re-  
ctum concedi motū, cælestibus aut̄ corporibus circa mediū in or-  
bem uolui. Hæc Aristoteles. Si igitur, inqt Ptolemæus Alexan-  
drinus, terra uolueretur, saltē reuolutione cotidiana, oporteret  
accidere contraria supradictis. Etenim concitatissimū esse motū  
oporteret, ac celeritatē eius insuperabilē, quæ in XXIII. horis  
totū terræ transmitteret ambitū. Quæ uero repentina uertigine  
concitantur, uidetur ad collectionē prorsus inepta, magisq̄ uni-  
ta dispergi, nisi cohærentia aliqua firmitate cōtineantur: & iam  
dudum, inquit, dissipata terra cælū ipsum (quod admodū ridi-

bculum